UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii, Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

S. Erhardvs, qui & Eberhardvs & Arionardvs, Episcopvs Ratisponensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-79686

Visual Library

S.ERHARDVS EPISCOPVS RATISBON.

Mitratas alij quantâ ambitione cathedras
Quærunt, tu tantâ relligione fugis;
Et mauis inter centones viuere cento
Quam gemino preſſum vertice ferre caput.

Interea claudi vestigia corrigis; ægros
Proſcripta morbi viuere peste iubes:
Diſpellis noctes oculis, solemq; reducis;
Omnia Naturæ iam tibi iura litant.

S. ERHARDVS,

qui & EBERHARDVS & ARIONARDVS, EPISCOPVS RATISPONENSIS.

FErunt alij, S. Erhardum & Hildulphum Albertúmq; ex nobili Bojorum creatos ſanguine, alij Neruios, alij Noricos, qui cum Boijs ijdem ſunt, alij domo Scotos fuiſſe tradunt, quod M. Velſero placet. & legi in MS. Codice Montis S. Erhardum Scotum appellari, Ratisponę in S. Emmerammi domicilio bonis litteris & morum innocentiâ ſanctiſſimè inſtitutum: atque Hildulphum quidem apud Treuiros pontificatum adminiſtraſſe; Erhardum Ardakadenſem Epiſcopum, Treuiris, cùm Hildulpho ſe abdicanti Erhardus ſucceſſor quæreretur, omnia alia ſibi potiora ratum, profugum Ratiſponam veniſſe, ibíque à religioſis è S. Auguſtini diſciplina fæminis hoſpitio, propter cœnobium exceptum, ætatem cum ſummâ vitæ ſanctimoniâ tranſegiſſe, omníſque generis ægros curauiſſe. S. Otiliæ Virgini facultatem videndi ab ipſo natali negatam precibus, dum illam ſalútari fonte baptiſmatis tingeret, impetrauit. S. Hildulphum non pono, quod dubiâ fide ſcribatur Bojus, etſi Auentinus Bojum affirmatè tradat. Erhardum Leo nonus Pontifex Maximus præſens Ratiſponæ cum D. VVolfgango, cæleſti honore colendum ſanxit.

ID CCLIII

Martyrol. Molani.

M.S. Montis Andecenſis.

Cratopolis in Treuir. Epiſ. p. 260

Hundius Metrop.

Auentin.

M. Velſerus l. 5. pag. 288.

Anno Chr. M. LII.